

justa pecuniæ summa persoluta , restituendis . Quamobrem Jo-
anni Delphino Veronæ Prætori , ut Tridentum profici sceretur ,
injunctum fuerat . Sed ea res irrito eventu cecidit . De finibus
vero cum diu disceptatum foret ; initæ quidem fuerunt non-
nullæ rationes ad controversias præsentes de medio tollendas ,
gravissimæ postea difficultates exortæ obstitere , quominus ea ,
de quibus jam conveniret , perficerentur .

Dum hæc gererentur , eadem , quæ superiore anno rerum
maritimarum cura Patrum solicitabat animos : nam Suleima-
nus Corones amissæ impatiens , ut notam , quam suæ gloriæ
inustam arbitrabatur , deleret , summo studio curabat , ut quam-
maxime posset & numero , & viribus instructiorem classem de-
duceret : neque minus Auria , ne impar hostibus esset , pro
augenda classe enixe laborabat , ut hoc anno , terrestre cessan-
te apparatu , maria ad mutuas vires exercendas latiorem cam-
pum præbitura viderentur . Quæ res Senatum impulere , ut
triremium numero aucto , singula summa solertia provideret ,
quæ ad maritima Reipublicæ loca defendenda , & maria tu-
tanda pertinerent . Ob id Mauro Corcyrae legato ducenti pe-
dites in supplementum præfidiariis militibus sub Joanne No-
vocomensi mittuntur : Hieronymo Canali injungitur , ut ,
cunctis navi gii coactis , Corcyrae in omnem rerum eventum
paratus subsistat : sinus Adriatici præfectum cum triremium
manu , ut tutum illum a piratarum injuriis præstaret , mitte-
ret : duas quoque cum celocium aliquot numero Zacynthum
profici sci juberet , ne quid insulani detrimenti caperent : ad
Maleam promontorium magnam navem onerariam destinaret ,
ut maria procul a prædonum vesana avaritia , atque ingluvie
pacata negotiatoribus redderet : quæ omnia Canalis vir im-
piger , maritimaque disciplina clarus , uti jussus fuerat , perfe-
cit . Franciscus Dandulus præfectus ad Adriatici sinus custo-
diam missus , cum iter quinque cum triremibus in Dalma-
tiā direxisset , atque ad Sasonem , in maritima Epri ora si-
tum , quod parum ab Aulone distat , procul duodecim Afri-
canas biremes conspexisset , Venetas arbitratus , nihil flexo iti-
nere , cursum tenuit ; mox proprius intuens , prædatorias esse
animadvertisens , immutato itinere , in altum proiectus , cape-
sere pugnam minime ausus , cum vix in conspectum hostis ve-

1533
Joannes
Delphinus
Tridentum
mittitur .

Veneti clas-
sem augent .

Mandata
Senatus ad
Hieronymus
Canalem .